



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XXXIX. Gregorii Papae I. Ad Petrvm Diaconvm. De monachis
dispersis per Siciliam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

EPISTOLARVM LIBER I. 201

Summam vero impensionum sub festinatione transmitto, & ad paschalem diem Domino auxiliante occurrito.

EPISTOLA XXXVIII.

GREGORII PAPÆ I.

AD FELICEM EPISCOPVM MESSANENSEM.

Demonasterio sancti Theodori ordinando.

Gregorius Felici episcopo Messanensi.

Et tibi gratum confidimus si fratriis tui viri venerabilis episcopi Paulini peregrinationis onera releuentur, & sub eius regimine communi mercede beati Theodori monasterium in ciuitate tua fundatum studiosius omnipotenti Deo deseruiat. Quod etiam te iam voluisse facere, eius relatione didicimus. Ideoque rectori patrimonii nostri præcepimus, vt monachos monasterii memorati episcopi perquisitos ad vnum congreget, & in eodem monasterio cum iis qui nunc ibi sunt collocare non differat; quatenus eo rectore dignius animarum suarum curam exerceant. Quam rem venerationi tuæ innotescendam præuidimus: ne te omisso aliquid ordinatum in tua contristiteris diceces.

EPISTOLA XXXIX.

GREGORII PAPÆ I.

AD PETRVM DIACONVM.

De monachis dispersis per Siciliam.

Gregorius Petro diacono.

VENERABILIS Paulinus episcopus Tauri ciuitatis, prouinciæ Brutiorum, nobis afferuit monachos suos occasione dispersos barbarica vsque nunc per totam vagari Siciliam, & eos quippe sine rectore nec animarum curam gerere, nec disciplinæ sui habitus indulgere. Qua de re præcipimus eosdem monachos te omni cura & solicitudine perquisitos ad vnum reducere, & cum memorato episcopo rectoreque suo in monasterio sancti Theodori in Messanensi ciuitate posito collocare: vt & hi qui nunc ibi sunt, quos egere rectore comperimus, & illi quos de congregatione eius inuentos reduxeris, in vnum possint eo

Concil. Tom. 13.

Cc

duce omnipotenti Domino deseruire. Quam rem venerabili Felici eiusdem ciuitatis episcopo nos significasse cognosce: ne præter suam notitiam in diœcesi sibi concessa ordinatum quipiam contristetur.

EPISTOLA XL.

GREGORII PAPÆ I.

AD ANTHEMIVM SVBDIACONVM.

De monachis circumquaque vagantibus.

Gregorius Anthemio subdiacono.

IOANNES frater & coepiscopus noster, directo per Iustum clericum suum capitulari, inter alia plura hoc nobis noscitur intimasse, aliquos monachos monasteriorum, in Surrentina diœcesi positorum, de monasterio in monasterium, prout eis libuerit, transmigrare, & a proprii abbatis regula desiderio rei sacerularis abscedere: sed & quod non licere notū est, peculiaritati eorum singulos stude. Si quos autem qualibet occasione a clericatu in monachicam conuersationem venire contigerit, non liceat eis ad eamdem, vel aliam ecclesiam, quarum pridem milites fuerant, sua voluntate denuo remeare: nisi talis vita monachus fuerit, vt episcopus, cui ante militauerat, sacerdotio dignum præuiderit, vt ab eo debeat eligi, & in loco, quo iudicauerit, ordinari. Propterea experientia tuae præsenti iussione mandamus, vt neque monacho vterius de monasterio in monasterium liceat migrare, neque eorum aliquem peculiare quidquam habere permittas. Sed si quilibet hoc præsumperit, in monasterio, in quo ab initio conuersatus est, & sub abbatis sui regula, de qua fugerat, cum competenti coercitione reddatur: ne si tantam iniquitatem fluxam inemendatamque dimittimus, pereuntium animæ a præpositorum anima requirantur. Et quia aliquos monachorū usque ad tantum nefas profilisse cognouimus, vt vxores publice fortiantur, eos omni habita vigilancia requiras, & inuentos digna coercione in monasteriis abbatum, quorum monachi fuerunt, retransmittas. Sed & de clericis ad monachatum venientibus, sicut supra diximus, peragere non omittas. Ita enim Dei placabis oculos, & impletæ mercedis particeps inuenieris.

Grat. 16. q.
1. cap. 32.
Grat. 37. q.
1. Et quia.